

tribuit D. Thomas, quod considerat in illis tria principalia capita. Primo, substantiam, et essentiam eorum secundum se abstrahendo ab existentia, et productione. Secundo, considerat esse naturale existentiae, seu productionem eorum. Tertio, esse supernaturale in gratia, et gloria, et oppositum eorum, scilicet peccatum, et damnationem. Primum sic tractat D. Thomas, quod primo agit de ipsa essentia seu substantia, deinde de proprietatibus consequentibus, quæ sunt intellectus, et voluntas, eorumque operationibus. Naturam, seu substantiam considerat, tum absolute in se, quæstione L, tum comparative ad corpora. Comparari autem potest Angelus, vel ad corpus, quod assumit ut in eo appareat, licet naturaliter unitum non habeat, vel ad corpus, cui assistit tamquam loco per virtualement quantitatem, vel quod movet et in quo movetur eo quod existentia ad locum mutabilis est, nec de existentia in loco tractari potest, nisi etiam tractando de motu locali. Et de comparatione ad corpora, quæ Angeli assumunt, et naturaliter unita non habent agit quæstione LI. De comparatione ad corpora, ut sunt loca agit quæstione LII. De motu vero circa talia loca quæstione LIII.

Circa proprietates, primo agit de intellectu, deinde de voluntate. De intellectu considerat quatuor. Primo, ipsam potentiam cognoscitivam, quæstione LIV. Secundo, medium, per quod fit cognitio, scilicet species angelica, quæstione LV. Tertio, objecta, ad quæ se extendit cognitio angelica, quæ vel sunt immaterialia, et spiritualia, et de his agit quæstione LVI. Vel sunt corpora, aut corporaliter manifestabilia sicut cognitiones cordis, quæ per signa corpora manifestantur, et mysteria gratiæ, quæ externis miraculis apparere solent, et de his

agit quæstione LVII. Quarto, considerat modum cognoscendi, ut quod fiat sine discursu, et sine compositione, et similibus, de hoc agit quæstione LVIII. De voluntate vero tractat duo: primo, de ipsa potentia, seu libero arbitrio quæstione LIX. Secundo, actum tam naturalem, quam liberum voluntatis, et hoc quæstione LX.

Secundum quod considerat post naturas, et proprietates Angelorum, est ipsorum existentiam, seu productionum in esse, et similiter tempus, et locum, in quo fuerunt Angeli creati, et de hoc agit quæstione LXI. Tertio et ultimo, considerat esse supernaturale, ad quod Angeli sunt elevati. Primo quidem quoad gratiam, et gloriam, et ejus meritum, quæstione LXII. Quod totum expedit D. Thomas una quæstione, eo quod difficultates particulares, de merito, de beatitudine, et gratia sunt communes hominibus cum Angelis, et ideo aliis locis tractantur. Secundo, agit de opposito gratiæ quod est peccatum, et quale, et quando potuerit accidere, quæstione LXIII. Tertio, agit de opposito gloriæ, quod est damnatio, seu pœna peccantium, tum quoad obtenebrationem intellectus, tum quoad obstinationem voluntatis, tum quoad dolorem in alligatione ignis, quæstione LXIV.

Post considerationem naturæ angelicæ, quæ est pure spiritualis restat inquirere de alio genere creaturarum a Deo procedentium, quæ est pure corporea. Circa quam considerat D. Thomas more theologico ordinem doctrinæ, quo tractandum est de hoc processu secundum quod pertinet ad fidem, et habetur per revelationem sacræ Scripturæ, et ita distribuit ordinem tractationis ejus eo modo, quo Scriptura nobis tradidit productionem creaturæ corporalis. Invenimus autem in Scrip-

tura distingui quatuor genera operum divinatorum, quibus opificium mundi perfectum fuit, scilicet opus creationis, opus distinctionis, opus ornatus, opus completionis et consummationis. Et licet posset Deus sola creatione totam hanc perfectionem, et complementum producere sicut fecit in Angelis, tamen juxta cujusque naturam se accommodans præcise creavit id quod pure indigebat ex nihilo produci, sicut corpora cœlestia, et elementaria, quæ vero ex subjecto per educationem possunt et petunt generari, per educationem e subjecto produci. Et præterea quia in prima rerum formatione non solum debet ostendi potentia creantis, sed etiam sapientia ordinantis, et imperfectio, ac dependentia rei creatæ; quod maxime ostendebatur componendo universum ordine quodam suæ sapientiæ, et faciendo quod corpora transirent de statu imperfecto ad perfectum. Et ideo facta creatione primorum corporum, quantum ad esse ex nihilo (in quo etiam includitur distinctio substantialis eorum, dicitur enim fuisse creata cœlum et terram, et aquam, etc. quæ sunt corpora substantialiter distincta) incepit opus distinctionis per aliquem motum quantum ad aliqua accidentaliter sicut per motum lucis divisio tenebrarum et diei, per segregationem aquarum, firmamentum nubium ab aquis inferioribus; per congregationem aquarum, terræ manifestatio, etc. Tertium opus fuit ornatus, sicut corporibus elementalibus addita sunt quædam mixta, et viventia, ut in aere volucres, in aqua pisces, in terra bestię; corporibus vero cœlestibus virtus aliqua superaddita est ad efficiendum active hunc ornatum in inferioribus. Quartum fuit opus completionis, et consummationis, cessando quidem a novis generibus rerum faciendis, conti-

nuendo vero gubernationem eorum in novis individuus.

Quem ordinem secutus D. Thomas, eodem modo distribuit processum creaturæ corporalis a Deo; et ita primo in communi, et generali ostendit creaturam corporalem a Deo procedere non ab Angelis, et de hoc agit in quæstione LXV. Deinde, specialiter agit de singulis operibus supradictis. Primo quidem de opere creationis prout distinguitur ab opere distinctionis, ostendens quænam corpora per creationem sint facta, et quomodo non fuerint facta informia quoad formationem, et distinctionem substantialem, sed quoad aliquam informitatem accidentalem, quæ postea perfecta fuit. Et de hoc agit quæstione LXVI. Secundo, agit de opere distinctionis, quæ per tres dies tripliciter facta est. Primo distinguendo lucem, et tenebras quod pertinet ad corpus cœlestis, et sic agit de lucis productione, quæstione LXVII. Secunda die distinguendo inter aerem, et aquam, cum divisæ sunt aquæ superiores, id est, nubium ab inferioribus, quæ sunt in mari mediante firmamento, id est, secunda aeris regione, in qua aquæ nubium firmantur, et quasi ligantur ne erumpant pariter deorsum. Neque enim aquæ perveniebant ad firmamentum stellarum, ut per tale firmamentum necesse fuerit eas dividere, et de hoc opere agit quæstione LXVIII. Tertia die facta est divisio inter aquam, et terram congregata aqua in unum, et apparente terra cum germine, et plantis, quæ illam vestiunt. Et de hoc agit quæstione LXIX. Post opus autem distinctionis, secundum, est opus ornatus per alios tres dies, tum in corporibus cœlestibus, tum in elementalibus. Nam quarta die ornati sunt cœli per hoc, quod luminaria acceperunt specialem aliquam virtutem, et motum ad generationem

rerum ordinatum distinguendo varia tempora in mensibus, et annis, sicut si componerentur rotæ horologii. Et de hoc agit quæstione LXX. Quinta die factus est ornatus aquæ, et aeris, producendo in aqua pisces, in aere volucres. Et de hoc agit quæstione LXXI. Sexta die productus est ornatus terræ in animantibus, ac denique in homine tamquam præside, et domino illius. Et de hoc agit quæstione LXXII. Tertium opus fuit completionis, et consummationis quando complevit Deus die septimo opus suum, et requievit ab universo opere, quod patrarat. Et de hoc agit quæstione LXXV. Et pro perfectione doctrinæ agit de omnibus septem diebus secundum aliquas eorum conditiones, et difficultates, quæstione LXXIV.

Expedita consideratione creaturæ pure spiritualis, et pure corporalis ut procedit a Deo, restat tractare de creatura composita ex spiritali, et corporali, quæ est homo, ut quasi post majorem mundum de minori tractetur. Et sicut in majori mundo creaturæ corporales se habent sicut corpus, et Angeli sicut spiritus non quidem informans, sed movens, et ministrans, ita in minori mundo, qui est homo datur spiritus, qui est anima informans, et corpus, quod a spiritu vivificatur, et regitur. Theologus autem non considerat principaliter naturam hominis nisi ex parte animæ, licet etiam consideret corpus ut ad ipsum anima dicit habitudinem, et secundum generalem rationem, qua est effectus Dei sicut infra, quæstione cxxi agitur de productione corporis humani, nam de ipso ut est ens mobile, corruptibile pertinet agere ad philosophum, non ad theologum. Principaliter ergo considerat theologus de anima, ut intellectualis natura est, et specialiter ad Deum ordinatur.

Igitur tractatum de homine in duas partes dividit s. doctor, sicut fecit in materia de Angelis. Nam primo agit de natura hominis secundum se, deinde de productione ejus in esse, et processu a Deo. De natura hominis tractat a quæstione LXXVI usque a xc per quindecim quæstiones. De ejus vero productione per duodecim a quæstione xc usque ad cii. In ipsa ergo natura hominis quantum est ex parte animæ (prout tractatur a theologo) considerat D. Thomas, essentiam, et potentias, et operationes sicut in Angelis. De essentia, seu substantia considerat duo. Primo, ipsam substantiam absolute, et secundum se quæstione LXXV. Deinde, comparative secundum habitudinem ad corpus, cui unitur ut forma, in quo differt a substantiis totaliter separatis, et de hoc agit quæstione LXXVI. De statu vero animæ separatæ extra corpus non agit hic, sed infra postquam tractavit de modo operationis animæ, eo quod ille status maxime immutat animam in modo operandi sine dependentia a corpore.

Circa potentias animæ considerat eas. Primo, generali quæstione LXXVII. Deinde, in speciali. Et quia principales potentiæ sunt intellectus, et voluntas quibus ministrant, et deserviunt potentiæ sensitivæ agit primo, de ipsis potentiis sensitivis quæ præcedunt, et ministrant ipsi intellectivæ, tam in sensibus externis, quam internis et hoc quæstione LXXVIII. De ipsa vero intellectiva agit quæstione LXXIX. Et quia ad cognitionem intellectus sequitur appetitus, agit de vi appetitiva hominis. Primo quidem in communi, et secundum se, quæstione LXXX. Deinde, in speciali de appetitu sensitivo qui ministrat et præambulat ad rationalem, quæstione LXXXI, et deinde de voluntate, indifferentia, et libertate prout movetur ab indifferentia judi-

cii, agit de libero arbitrio, quæstione LXXXIII.

Circa operationes animæ agit primo, de modo quo intelligit anima unita, deinde, de modo quo intelligit separata : de operationibus vero voluntatis, et habitibus quia morales sunt, et habent rationem virtutis, vel vitii agetur in prima secundæ et secunda secundæ sicut etiam de habitibus intellectus, quæ sunt virtutes, ut sapientia, prudentia, etc. Igitur de operationibus seu actibus intelligendi agit D. Thomas distinguendo de illis penes objecta cognita. Quæ sunt in triplici differentia quædam infra se, scilicet corpora. Secundo, ipsamet anima in se. Tertio, ea quæ sunt supra se, scilicet intelligentiæ, et Deus. In cognoscendo corpora, seu quidditates sensibiles, quæ sunt magis conaturales nobis pro hoc statu, tria considerat. Primo, medium cognoscendi, quæ sunt species, ut dependent a phantasmatibus, et accipiuntur a rebus, et hoc quæstione XLVIII. Secundo, ordinem et modum cognoscendi : ordinem quidem quia quædam sunt priora, alia posteriora, quædam magis, vel minus universalialia in intelligendo : modum autem, quia cognoscit componendo, et dividendo, discurrendo, etc. Et de hoc agit quæstione LXXXV. Tertio, considerat res ipsas cognitatas, et objecta, ad quæ potest se extendere intellectus v. g. ad singularia, futura infinita, etc. et hoc quæstione LXXXVI. In cognoscendo autem se ipsam, et ea quæ intra se sunt considerat, quomodo fiat, quæstione LXXXVII. In cognoscendo vero intelligentias, et Deum quæ supra se sunt, quæstione LXXXVIII. Ultimo, agit de modo, quo hæc omnia intelligit anima in statu separationis, quæstione LXIX, et sic finitur tractatus de natura hominis ex parte animæ

Tractatus vero de productione ho-

minis theologice tractatura D. Thomas prout traditur a Scriptura, considerando quatuor, quæ in ipsa prima hominis productione Scriptura nobis declarat. Primo enim ponit productionem ipsam, dum dicit: *Faciamus hominem*, fecit Deus hominem, creavit hominem. Secundo, declarat finem ejus, scilicet ad imaginem nostram, ut præsit, etc. Tertio, statum in quo homo est conditus, quia fecit illum Deus rectum, et sine peccato in statu innocentie. Quarto, declarat locum, in quo posuit Deus hominem, scilicet in paradiso, ut operaretur, et custodiret illum. Ad hæc quatuor reducit D. Thomas considerationem de productione hominis. Et primo, quantum ad productionem ipsam considerat per tres quæstiones. Primo quidem productionem animæ, quæstione xc. Secundo, productionem corporis humani, quæstione xci. Deinde, productionem corporis adjuncti, scilicet corporis mulieris, quæ illi conjungitur ad vitæ, generationisque subministrationem. Quantum ad secundum scilicet finem hominis, quia creatus est ad imaginem, et similitudinem Dei, et in quo consistat hæc imago, et similitudo tractat quæstione cxxiii. Quantum ad tertium, scilicet primum statum hominis, dividit illum ex parte animæ, et ex parte corporis. Ex parte animæ accepit statum in intellectu quidem quantum ad plenioram intelligentiam, et scientiam, de qua agit quæstione xciv. In voluntate vero quoad rectitudinem gratiæ, et justitiæ originalis, de quo quæstione cxxv. In usu vero hujus justitiæ accepit dominum in omnes creaturas inferiores, de quo agit quæstione cxxvi. Ex parte vero corporis consideratur status ille, et in ordine ad se quantum ad conservationem individui, et in ordine ad alios quoad propagationem speciei per generationem.

In ordine ad se consideratur immortalitas illius status non quidem sicut in gloria ubi dicitur corpus futurum spirituale, id est, perfecte subjectum spiritui, in statu autem innocentiae erat adhuc corpus animale, id est, indigens cibis, et alterationibus subjectum, licet per extrinsecam Dei providentiam, et reparationem ejus ligni vitæ, immunis a morte redderetur, et de hoc agit quæstione cxcvii. In ordine autem ad generationem consideratur status ille, tum ex parte principii generantis, quia fieret generatio modo communi per commixtionem, licet non cum bestialitate concupiscentiæ, quæ nunc est, et de hoc agit quæstione cxcviii. Tum quia etiam consideratur ex parte prolis generatæ, et quoad corpus quantum ad perfectionem, in qua generaretur, et de hoc in quæstione cxcix. Et quoad animam tum quoad perfectionem justitiæ originalis, quæ transfunderetur in prolem, de quo agit quæstione c. Tum quoad scientiam, seu usum rationis, an daretur in prole, de quo quæstione cx. Denique, quantum ad quartum scilicet de loco, in quo positus est homo in sua prima productione, qui est paradisi agit quæstione cxii.

GUBERNATIO CREATURARUM.

Post expeditam considerationem de processu creaturarum a Deo sequitur agere de earum gubernatione, et administratione, in qua continuo Deus operatur, juxta illud Joan. v: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* Administrat autem Deus creaturas, quasdam per se immediate operando, quasdam etiam mediantibus aliis causis secundis juxta quod dicit Augustinus in de Trinitate, cap. iv, quod corpora grossiora per subtiliora reguntur, et omnia cor-

pora per spiritum vitæ rationalem, et spiritus peccator per spiritum justum, et spiritus justus per Deum. Quare ad exactam considerationem gubernationis divinæ oportet considerare. Primo, ministracionem Dei immediatam in creatura. Secundo, mediatam quatenus per unam trahit in aliam.

Circa primum, considerat D. Thomas immediatam gubernationem Dei in creaturas tam secundum se quam secundum effectus, quos in eis facit. De ipsa secundum se, et quomodo subdantur omnia gubernationi divi næagit quæstione cv. De effectibus vero gubernationis considerat, quod vel sunt ipsa continuatio, et conservatio rerum in esse, vel concursus auxilii ad operandum. De conservatione in esse, et omnimoda dependentia creaturæ a Deo in existendo, et de ejus opposito, scilicet annihilatione si suspendatur Dei conservatio agit quæstione civ. De concursu vero ad operandum tum generaliter cum omni causa creata, tum specialiter cum intellectu et voluntate intra quas potentias solus Deus illabatur, et operatur, tum miraculose in operibus excedentibus ordinarium modum operandi, et de gradibus miraculorum agit quæstione cv.

Circa secundum, scilicet gubernationem Dei mediatam, quatenus mediante una creatura agit in aliam considerat D. Thomas omnem mutationem, seu actionem fieri secundum triplex genus creaturæ supra positum, scilicet pure spiritualis, seu angelicæ, vel pure corporalis secundum quod unum corpus agit in aliud, vel hominis, qui est constans ex corporali, vel spirituali. Circa primum, potest Angelus immutare, et agere vel in alterum Angelum, vel in creaturam corporalem, vel in hominem. In alterum Angelum potest agere, vel actione hierarchica quæ

est superioris in inferiorem, vel actione communi omnibus, qualis est locutio. De prima actione agit quæstione cvi, et vocat illam illuminationem sub qua comprehenditur purgatio, quæ removet nescientiam veritatis, et ipsa illuminatio, quæ veritatem ostendit proportionato modo ad captum inferioris, sicque fortificat ejus lumen, et denique perfectio, quæ ad aliquem modum superiorem cognoscendi elevat inferiorem, sicque etiam inflammat voluntatem. De alia vero actione, quæ est simplex locutio, qua conceptus unius moraliter occultus per ordinationem ad alterum redditur pertinens ad illum, et consequenter tollitur moralitas occulativa respectu illius agit quæstione cvii.

Et quia inter superiores, et inferiores Angelos necessario debet dari ordo, et præsentia, quæ hierarchiam constituat, agit de ordinibus et hierarchiis Angelorum: de ordinatione quidem bonorum secundum actiones illas illuminativas, et perfectivas, quæstione cviii. De ordinatione vero malorum, qui illuminationem, et perfectionem supernaturalem non influunt cum sint in tenebris gratiæ, sed solum principatum, directionemque naturalem habent, agit quæstione cix. Distinguitur autem principatus, seu hierarchia in Angelis secundum magis vel minus universalem, et superiorem modum intelligendi, inde enim diversus influxus, et gubernatio inducitur. Et hæc secundum tria accipi possunt. Quidam Angeli considerant res, et ordinant de illis secundum quod procedunt a primo principio, quod est Deus, qui modus convenit primæ hierarchiæ a qua res ordinantur, et disponuntur secundum ea, quæ immediate procedunt, et discernuntur a Deo, unde et incendunt voluntatem sicut Sera-

phim, et illustrent intellectum sicut Cherubim respectu omnium creaturarum intellectualium universaliter etiam gubernative, quia istæ potentiæ, utpote universalissimæ immediate a Deo moventur; denique judicia Dei, et decreta ostendunt, et exercent, ut immediate procedunt a Deo sicut Throni, et isti sunt ordines primæ hierarchiæ, sicut apud regem illi, qui ei assistunt in his, quæ immediate procedunt a rege, sunt primi ministri, et gubernatores, seu de latere regis. Alii Angeli considerant, et ordinant de rebus prout procedunt a causis universalibus creatis, sicut Dominationes, qui etiam Angelis bonis, qui sunt causæ universales præsent, et dominantur: Potestates, quæ malos Angelos coercent: Virtutes, quæ cælos movent; et sic constituitur secunda hierarchia, sicut apud regem gubernatores provinciarum, præsidesque consiliorum. Alii denique considerant rationes rerum, ut procedunt a propriis, et particularibus causis secundum ultimam executionem, et hoc pertinet ad tertiam hierarchiam, quæ est executiva rerum, quæ ex jussione Dei fiunt in hoc mundo, sicut apud regem ministri executores sunt infimi inter alios, licet juxta dignitatem, seu gravitatem eorum, quæ exequenda sunt, diversi ordines in hac hierarchia distinguantur.

Tertia consideratio, quomodo Angelus agat in creaturam pure spirituales considerat quomodo gubernet, et agat in creaturam pure corporalem, naturaliter enim corpus subditur spiritui, et convenienter ab eo regitur, non tamen ita quod formali immutatione illud immutet, quia non habet Angelus vim generativam, et seminalem corporum, et multo minus creativam, sed immutat illud secundum motum localem, qui est perfectior, et universa-

lior, eo quod plura potest applicare, et sic applicando activa passivis faciunt Angeli multa mirabilia, et de hoc agit quæstione x.

De immutatione vero, et gubernatione Angelorum erga hominem tractat duo. Primum, quid ex virtute naturali possint; deinde, quid ex missione, vel permissione Dei. Ex propria quidem virtute possunt agere in intellectum hominis illuminando illum sicut alium Angelum, non tamen infundendo lumen, quia hoc est proprium Creatoris intra intellectum; possunt etiam movere voluntatem medio objecto proposito, aut commotione passionis, non tamen intra voluntatem per il-lapsam operando. Imaginationem autem ac sensum directe immutare possunt movendo localiter ea, quæ concurrunt ad sensationem, quia corporea sunt. Et de his agit quæstione xi. De his autem, quæ operantur Angeli ex missione Dei quantum ad bonos, vel ex permissione quantum ad malos ostendit duo. Primo dari missionem in Angelis. Secundo effectus missionis. De missione agit quæstione cxii, ostenditque omnes Angelos mitti, sed diversimode, nam superiores mittuntur ad præsidendum, et dirigendum, et hi proprie dicuntur assistere Deo assistentia regiminis: alii mittuntur ad exequendum, et hi dicuntur proprie ministrantes, quoad ministerium exterius, licet etiam assistant Deo assistentia visionis beatæ. Unde tota prima hierarchia, et primus ordo secundæ hierarchiæ, scilicet Dominationes non mittuntur ad exequendum. De effectibus autem missionis; quoad bonos Angelos attenditur hoc præcipue quoad custodiam hominum, tum cujuscumque in singulari, tum universaliter ali-cujus regni, vel provinciæ, quibus deserviunt Archangeli, vel etiam Principatus: et secundo, solet inter

eos esse pugna, et contrarietas, et de istis agit quæstione cxiii. De effectibus autem permissionis per Angelos malos, id est, de tentatione et impugnatione hominum agit quæstione cxiv.

De immutatione autem, et gubernatione, qua una creatura corporalis agit in aliam tam corporum inferiorum, quæ agunt per seminales rationes, quam corporum cœlestium, quæ agunt per motum localem, et lucem aliasque influentias superiores motu intelligentiæ derivatas agit quæstione cxv. Et quia corpora agunt ex necessitate, et ideo ordinatio, et series causarum corporalium habet necessariam, et immutabilem dispositionem, quam quidam fatum dixerunt, agit de facto, quæstione cxvi, ostendendo, quod fatum non provenit a cœlo respectu omnium effectuum corporalium etiam contingentium, sed a providentia Dei quæ est infallibilis, et universalissima, et secundum quod est in Deo dicitur gubernatio, seu providentia activa, secundum vero quod in causis creatis recipitur illa dispositio, et ordinatio Dei, dicitur fatum quasi aliquid a Deo locutum, et præfatum, quod immutari non potest.

Denique, de immutatione, et gubernatione creaturarum per hominem considerat Div. Thomas quod homo potest immutare aliquid extra se, vel circa se. Extra se immutat dupliciter, uno modo per virtutem intellectivam, et motum vocalem exequentem sicut Angeli: alio modo per virtutem seminalem sicut alia corpora, quod non habent Angeli. De primo, quod pertinet ad modum docendi, seu illuminandi, et movendi agit quæstione cxvii. De modo autem immutandi per seminalem rationem, et propagationem, sine hoc quod anima rationalis traducatur, sed a Deo fiat per creatio-

nem agit quæstione cxviii. Immutatio vero hominis circa se est illa, quæ fit circa proprium corpus nutriendo illud, et ita agit de nutrimento quæstione cxix. Et sic finitur prima pars.

ORDINATIO, CONNEXIO EORUM

QUÆ PERTINENT AD PRIMAM SECUNDÆ.

Postquam tractavit D. Thomas de Deo in se, et ut est causa effectiva creaturarum, incipit in hac secunda parte agere de Deo, ut est causa finalis assequibilis a creatura. Solum autem Deus est assequibilis per intellectum, et voluntatem, cognitione scilicet, et amore, quia aliæ operationes non possunt ipsum attingere cum spirituales non sint, et ideo solum a creatura intellectuali assequi potest. Et relicta creatura angelica de cujus beatitudine ejusque assecutione in prima parte actum est, restat agere de Deo ut fine assequibili per actus humanos, qui magis nobis noti sunt, magisque necessarii ut pote quibus, vel ad Deum accedimus per virtutes, vel ab eo recedimus per vitia, et peccata ideoque isti actus vocantur morales, quia humani sunt, et ad morem, seu consuetudinem humanam spectant in eo, in quo homo distinguitur a bruto.

Igitur in hac prima secundæ duo sunt principalia, de quibus agitur. Primo, de ipso fine hominis, ut homo est. Secundo, de actibus moralibus, seu voluntariis in communi, eorumque principiis quibus ad hunc finem tenditur.

Circa primum, considerat D. Thomas principaliter in Deo rationem finis ultimi, tum quia Deo non convenit esse finem nisi supremum, et ultimum, tum quia cognito fine ultimo facile fines medii, seu non ultimi cognoscuntur. In fine autem ultimo prout ad moralitatem perti-

net, et assequibilis est per morales actus, quorum caput, est ultimus finis, tres formalitates principales considerat Divus Thomas. Primo, qua ratione est finis humanus, et humano modo attingibilis, hoc enim pertinet ad moralitatem. Secundo, quomodo subordinet sibi omnes alios fines, quia supremus, et primus est. Tertio, quomodo ultra illum nihil restet desiderandum, quia ultimus est, et consequenter debet esse satiativus, et consummativus omnis perfectionis intellectualis naturæ, sicque beatitudinem, et felicitatem ejus constituit. Duas primas formalitates finis ultimi tractat sanctus doctor quæstione i, aliam vero formalitatem, quæ beatitudinis est, tractat per quatuor quæstiones sequentes. Considerat ergo in prima quæstione rationem finis ultimi in quantum humanus, scilicet quod ita finalizet quod non pure moveatur homo, sed moveat se in illum et agat propter illum cum collatione, et comparatione ad media, et sic etiam specificat actus humanos finis proximus, seu objectum illorum ut induens rationem objecti, ad quod quis se movet. Considerat etiam rationem finis ultimi in eo, quod est universa sibi subordinari finalizando, et ideo unus esse debet, si hoc modo ultimus est, alias non subordinaret sibi omnia, nec propter illum essent omnia. Et hoc quæstione i.

Exinde agit de fine ultimo quantum ad tertiam formalitatem quate-